



17

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**SANITATE
MORBIS ET MORTE
B. LUTHERI,**

Quam-

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosae Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRAESIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONCILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-
SORE PUBLICO ORDINARIO, etc.

FACULTATIS MEDICÆ SENIORE,

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
ANNO MDCC. D. NOVEMBR.

HORIS LOCOQUE CONSVENTIS

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET
RESPONDENS

EMMANUEL HENRICUS GARMANN,
CHEMNITO-MISNICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



DISSERTATIO IN VINDICATIONE

MORBIUS POMPEI
BUTTNERI

DN D MICHAEL ALBERT

CONFESSOR CANTABR

SUMMARIO IN INDIANIS HISTORIAS

ET HISTORIAS INDIANAS

PER MICHAIL ALBERT

CONFESSOR CANTABR

IN INDIANIS HISTORIAS

ET HISTORIAS INDIANAS

PER MICHAIL ALBERT





PROOEMIUM.



Inter alias quasi tropicas & abstrusas
loquendi formulas, quibus PLINIVS
interdum utitur, illa etiam annotatione
& interpretatione digna est,
quam in H. N. Lib. 7. c. 50. profert:
at qui etiam morbus est aliquis per sa-
pientiam mori: quamvis Capp. R E-
J E S. in Camp. Elys. juc. qu. 100. fidem & authorita-
tem, modo non infallibilitatem ejus vehementer &
impatienter defendat, nihil tamen minus hæc per-
plexa, cimmeriis tenebris caliginosior & Platonis
numero obscurior locutio multa animi contentione
pro cuiusvis sensu explicata prostat; ea etenim sua
conversione & æquipollente enunciatione magnam
confusionem & contradictionem involvit: per sapi-
entiam enim mori, esse aliquem morbum plane con-
trari.

A 2

trarium quod continere ; nam morbum immedi-
 cabilem sequitur mors : hęc si contingit, desinit
 morbus ; mors est clausula rerum , ideo etiam
 præsente morbo abest mors , sive per sapientiam,
 i. insipientiam eveniat ; mortis præsentia infert mor-
 bi privationem & absentiam , hinc facile judicare
 licet, ipsum Plinium vix intellexisse, quid hac dictio-
 ne perspicue ac sobrie intelligi voluerit & licet Re-
 jesus variorum mentem, opinionem, interpreta-
 tionem & explicationem obscurae hujus enunciationis
 proferat, sępe tamen in hoc conamine cœcus cœ-
 cum ducit & obscurum per æque obscurum profert:
 in hoc autem nodo solvendo videtur R A M A Z Z I-
 N I sobria harmonia huic Plinianæ expressioni tene-
 bricosa aliqualem lincem affundere, quando in dia-
 tribe de Morbis artificum p. 647. differit: Plinum tot
 periculis, tot casibus, tot morbis, quibus vita nostra
 continuo petitur, adnumerare voluisse causam occasio-
 nalem , ob quam mors persępe contingat, studium
 nempe sapientię, quę suos cultores ad præproperam
 mortem non raro perducit, ita ut in morborum Classe,
 morbus sit aliquis, quem medici non adverterint, scil.
 per sapientiam mori: i. e. ob immoderatum &
 flagrans studium sapientię, multi animi & corporis
 morbos sibi contrahunt & præmaturam mortem
 causantur, sibique accelerant; hinc multæ, arduæ
 & sonticæ animi occupationes, negotia & curæ cor-
 pus affligunt, vires enervant &conomiam vitæ &
 sanitatis turbant atque destruunt: quo sobrium ju-
 dicium PLATONIS in Timoeo pertinet: quando
 anima

anima corpore admodum potentior est exultatque in eo
 atque effertur, totum ipsum intrinsecus quatiens lan-
 guoribus implet. Quando etiam ad dicendum investi-
 gandumque collectis in unum viribus vehementer in-
 cumbit, liquefacit prorsus corpus & labefactat. De-
 nique cum ad dicendum differendumque privatum &
 publice ambitiosa quadam concertatione contendit, in-
 flammat corpus atque resolvit; nonnunquam etiam
 destillationes, fluxusve commovens, Medicorum plu-
 rimos decipit, cogitque illos contrarias causas judica-
 re. Ceterum de hac ænigmatica Plinii sententia
 conf. WALDSCHMIED diff. de morte per Sapientiam,
 FRANCKENAU Satyr. Medic. pag. 173. seq. 601. seq.
 SCHMIEDER in A&T. Nat. Cur. Cent. 3. obs. 77. Me-
 morabilis igitur & commendatione digna ea est Me-
 dicorum tractatio, qua Virorum, de Studio, Cul-
 tura, exercitatione & applicatione sapientiæ, in quo-
 libet foro optime meritorum & celebratorum, be-
 nedicta memoria sollicite custodienda est, nec solum
 eorum officia & gloria facta celebrantur, sed Stra-
 tus Sanitatis, Morborum & mortis disseste & ampli-
 fice recensetur, sive honorabile ac imitatione &
 recordatione dignum vitæ curriculum integrum atque
 complete commendatur & Mausoleum quasi erigi-
 tur. Quemadmodum enim quilibet artifices, ne-
 gotiatores, opifices & operatores peculiares & par-
 ticulares morbosas quasdam patiuntur & experiun-
 tur afflictiones, referente RAMAZZINI l. c. præf.
 p. 471. Fateri enim necessum est, ex quibusdam arti-
 bus non exigua mala suis artificibus interdum profi-
 ciſci,

cisci, ut unde alimenta ad vitam producendam & familiam alendam expectabant, gravissimos morbos persepe referant, ac artem cui se addixerant, execrantes, tandem e vivorum statione decadant; ita eorum etiam, qui altiora & graviora tractant negotia, nec segniter, negligenter & otiose operantur, memoria sit immorialis. Quot jam acutorum ingeniorum subiecta ob ardente ad studia & sapientiam conatum & instinctum multos morbos, miseram valetudinariam vitam, imo præmaturam mortem sibi contraxerant, multis exemplis probari potest: ideo F. CINUS de Studios. Valetud. tuenda cap. 3. disserit: quantum mente & cerebro negotiosi sunt, tantum corpore otiosi existunt. Propria experientia edocet b. LUTHERUS in Genes. III, 19. ita commentatur; homines in Politia & Ecclesia, qui serio faciunt, quod facere debent, uno die plus laborant & sudant, quam agricola toto mense, si magnitudinem operis & varia pericula consideres: porro: Summa igitur stultitia est, quod Fanatici manuum labores sic urgent, qui corpori confirmando utiles sunt. Cum econtra hi Politici & Ecclesiastici labores maximi aterrant corpora, & tanquam ex imis medullis omnem succum exhaustant, amplius: economicus sudor magnus: major Politicus: Ecclesiasticus maximus: Nam Paulum vide & facile intelliges, quomodo ab eo desudatum sit. Si e numero eorum, qui animo operosi sunt, illos feligimus, quibus animarum cura, veritatum Christianæ religionis defensio, Regni & Gloriæ Christi amplificatio, veræ in Christum fidei confessio, prædicatio, confir-

confirmatio & commendatio demandata est, tunc
 tales viri doctrinæ puritate, vitæ probitate & integri-
 tate & strenua ampli & sancti munera sui admini-
 stratione illustri laude celebrati, lux mundi sunt, qui
 coram hominibus lucent, ut videant eorum pul-
 chra scripta & opera & glorificant Patrem, qui in
 cœlis est: Tanto majori vero veneratione & reve-
 rentia illi digni sunt, qui præter laudatas facultates
 eo adhuc ornatu inter posteros clari sunt, quem S.
HIERONYMUS in Ep. ad Nepotianum de vita Cle-
 ricorum rite instituenda, nominat: *Vis scire, ipse in-*
quit, quales Dominus in Clerico querat ornatus. Ha-
beto prudentiam, justitiam, temperantiam, fortitudi-
nem. Hisce igitur donis, dotibus & virutibus, di-
 vina gratia formatis, confirmatis & conservatis, qui
 excellunt & sacrata sapientia nobiles sunt, merentur
 utique pia recordatione toto suo vitæ stadio posteri-
 tati commendari: quare **LIPSIUS** Cent. 3. epist. 26.
 judicat: *Carmine & lacrymis mortuis parentare ex-*
tremum & decorum officium est: & laude & memo-
ria bona prosequi defunctos, ratio & sapientia pro-
bant. Tales sunt illi, qui post varia pericula & discri-
 mina rerum superata, imo post varias morbosas affli-
 tiones, denique per piam, justam & sanctam sapien-
 tiam e vita discedunt, ac cum illis qui sapienter
 vixerunt etiam sapienter divinum suum thesaurum
 in fletili, fragili & morboso vase gestant, denique
 etiam sapienter mortem obeunt: ideoque juxta
PLATONEM Lib. 7. de Legib. decens est eos cives
 laudibus exornare, qui cesserunt e vita, si corporis vel
 animi

animi viribus res arduas preclarasque gesserint. Inter istiusmodi Megalandros merito referendus est *b. LUTHERUS*, cuius vita & facta in magno & arduo Reformationis negotio, velut illius Angeli, in apocalypticā visione observati, in medio cœli volantis, (interprete Pomerano BUGENHAGIO in Conc. funebr. Lutheri, Val. HERERGER in der Herz-Po-
still F. Martini Conc. 2. p. 198. EMMELIO VON DEN durch den Himmel fliegenden Engel. SPENERO in Sontags-Andacht P. 3. p. 422. sq.) satis superque de- scripta prostant: Quod autem ad illius vitam & san-
itatē naturalem, ut & morbos & mortem attineat, vix peculiari studio, ordine & nexus sufficienter aëtum fuisse, constat. Eam ob causam annuente divina bonitate præsente inaugurali Specimine constituimus hoc thema de SANITATE MORBIS ET MORTE SANCTI HUJUS THEOLOGI Me-
dica disquisitione & explicatione brevibus commen-
dare. Rogamus cœlestem Sapientiam, ut hanc Vi-
tam, Morbos & Mortem, quæ per Sapientiam conti-
git, condigne & utiliter pertraetemus.

§. I.

 In describenda *Vita, sanitate, morbis & morte* Magni Theologi, videl. *b. LUTHERI* (quem *Urbanus Regius* magnum virum, *RUARUS Antitri- mitarius* Ep. 1. p. 8. Summum Virum, *URBANUS de Serralonga*, Legatus Moniferrantensis, *Magnificum ora- torem*, *ULRICH III Berg-Pr.* T. 2. Conc. 6. p. 178. Conc. 14. p. 382. T. 3. Conc. 9. p. 252. *magnum & beatum LUTHERUM*, proba-

probatum & peritum pugnatorum Jesu Christi, strenuum
 oratorem, magnum & animorum reformatorem, multisque
 aliis laudibus dignum virum Conc. 33. p. 1694. nominant)
 antea ejus naturalem constitutionem corporis s. Tempera-
 mentum indicare, & ex hoc fundamento ejus statum sanitatis,
 individualem proclivitatem ad certos morbos, naturales
 vires in perferendis morbis ac reliquum processum mortis
 deducere & explicare placet. Præsupponimus autem &
 præmonemus, quod in quolibet hoc naturali statu beatus
 Vir a teneris peculiari divina gratia, robore & direc-
 tione fulcitus, instructus & confirmatus fuerit, sine quo
 cælesti adjutorio tot arduos labores, tot difficultates, per-
 ricula, curas, sollicitudines, persecutio[n]es, multas varia-
 que alias molestias solis naturalibus viribus perferre & su-
 perare haud poruerit. Quoniam igitur in laudato Viro
 singularia & magnalia Gratiae & Naturæ, annotatione &
 memoria digna sunt, ita ea quæ ad physicam & medicam
 contemplationem spectant, hoc loco & arguento pertra-
 etabimus: Judicamus igitur ex relatione historica LUTHE-
 RUM Sanguineo-Cholerico temperamento prædictum fuil-
 se, id quod ex ejus qualitatibus corporis & proprietati-
 bus mentis, indolis, morum & passionum animi firmo ac
 solido argumento concludere licet. Præmitimus ite-
 rum aliorum relationes, ex quibus veritatem asserti no-
 stri probare lobet: Ita primo SECKENDORF in *Histor.*
Lutheran. Lib. I. Sect. 8. §. 8. ex Jesuita Maimburgio in *Hi-*
stoire Luther. Lib. I. Sect. 8. (quem multi acrem magis cen-
 sorem, quam fidum mediumve historicum de LUTHERO
 nominant) refert: *Lutherus corpore erat valido & robu-*
sto & ideo ad laborem tolerandam sine valetudinis detri-
mento

mento aptus: temperamento bilioso & sanguineo: oculis penetrantibus & igne plenis; voce jucunda & si semel concitatus, vehementi aspectu ferus: mente intrepidus & elatus: porro: p. 22. a. restatur SCHENCKENDORE, ad excaudescientiam, de qua ipsa Lutherus conqueritus non semel est, pronus erat: ut & ad jocandi libertatem: intrepido erat animo, non feroci - - Confessiones invenitus adiit, sepe de incommmodo eorum quæstus, cili & parco gaudebat cibo: ita ut in custodia Wartenburgensi laetius habitus valetudinem corruerit. Cum aliquando gravius agrotaret, neglecto medicorum præcepto ad cibum vulgarem ac solitum hæc cis usq; & pisorum conversus (ut Razebergius memoravit) sanitatem recuperarit, & ejeclo calculo morbum prodidit, quem medici dignoscere non potuerant. Pertinet hoc testimonium Job. CORR. DANNHAUERI in Memoria Thavmansiandri Lutheri renovata c. 4. p. 9. erat ingeniosus, industrius, judicio acutus, velox, bilaris, ad studia continuanda & prosequenda alacris, ingenii felicis, judicij acutumne ceteris adolescentibus facile palmarum præripuit. Studia amavit Historiam, Eloquentiam, Logicam, Physicam, Ethicam. Memoriam habuit fidem & firmam: toti Academiae Erfortensi Lutheri ingenium admirationi fuit: mortui modestiam ac gravitatem amabilem babuit. Addimus Melch. ADAMI suffragium in Vita Lutheri: Vita ejus privata plena fuit exemplis virtutum; fuit natura, quod Melanchthon sepe miratum se narrat, in corpore non parvo, nec imbecilli - - in congressibus familiaris fuit, suavis ac humarus cum gravitate tamen: ut autem magni viri habent ardenter iram; ita & Lutherus fuit natura ardentus, sed placabilis - - Valetudine usus est sat firma. - - Statu-

Statuta fuit iusta, corpore robusto, oculorum leonina vivacitate, tanta, ut eorum intentionem recte adspiciendo non omnes ferre possent: vocem habuit lenem, nec adeo cloram. Annectimus clarum testimonium in universalis Lexico Historico comprehensum tit. Lutherus: Vir erat eximia animi fortitudine, laboriosa industria, profunda animadversio ne, penetrante eloquentia, per quam ardente animo praeditus, inde ad rigorem & duras loquendi formulas in polemiciis suis scriptis pronus erat, quem errorem ipsomet aliquoties in se agnovit, sed etiam communiter proprio adversariorum suorum testimonio eo concitatus fuit, erat valetudinariae corporis constitutionis, cibrioribus etiam animi ærumnis subiectus, ast sabinde sat validus arduis laboribus suis administrandis, permanxit: Et quamvis talia documenta aut testimoniorum specimen, ab invicem mutuo petita & transcripta sint, ea tamen a veris & fide dignis primis testibus, qui eodem tempore vixerunt, & cum beato Viro familiarissima & amicissima consuetudine & sociate usi fuerant, emanarunt.

§. II.

In explicandis hisce testimoniis reminiscor effati illius, quod b. LÖSCHER in Decimis Evangelicis P. 4. n. 3. p. 76. de b. Lutheri Medico statu, morbis &c. sequentibus profert: Si quid est quod habili penicillo designatum vidisse optari, solida explicatio medica constitutionis, morborum & affectionum beati testis Dei Lutheri est: Tractatio Theologo & Medico idonea, nec sine utilitate futura: de hoc b. teste author laudatus l. cit. p. 77. sequentia allegat: beatus Vir sanæ & firmæ erat constitutionis, quæ etiam labore suo fere intolerabili vix facile debilitabatur: medio-

eriter costata s. obesa corporis statuta, carnosa facies, una
 vivaci colore id confirmabant: multi labores tenuisque vi-
 etus optime ipsi conducebant; commoda contra & lauta
 vita mox valetudinarium eum efficiebant. Animo libero
 & bilari fuit: Musicam valde amabat, de qua cogitavit
 eam plus cibo & potu illum refectionem; siquidem ipse com-
 positiones musicas ordinatas formavit seque frequentius ti-
 biis canendo recreavit. Vox ejus vivax, penetransque erat,
 attamen elata; hinc tonum, quem altum vocant, cantare so-
 lebat. Singulæ predictæ qualitates quoad animum &
 corpus genuina criteria calidi, alacris, strenui, vivacis, ope-
 rosi, activi sunt temperamenti; corpus validum, robustum,
 carnosum, succulentum, sano colore splendidum, nec me-
 lancholico, nec phlegmatico naturale est: qualem no-
 bilem, venerabilem, generosam, gravem, blandam, huma-
 nam, amicabilem, excelsam, seriam, suavem, flagrantibus
 oculis predictam vultus formam amplifice & diserte ad Lu-
 cæ Cranachi imaginem descripsit KIRCHMAIER disquis.
 historicæ de Lutheri imagine. Erasm. ALBERUS domesti-
 cus Lutheri testatur: Lutherus war von Gliedmassen eine
 schöne Person, & Joh. Georg. SCHELHORN de eodem scri-
 bit: Cernite formosam, formosò in corpore, mentem, de-
 generem mentem vix caro pulchra tegit. Amoenit. litter.
 Tom. II. p. 510. KIRCHMAIER l.c. §. 24. p. 53. refert: Lu-
 theri vultus revera heroicus est & majestatis alicujus in
 oculis residentis particeps. -- Ardentes oculos, grandiu-
 sculos, acres & in eis sigillatim iridem igneum s. circulum
 igneum, pupillam nigram ambientem, eumque flavo colore
 a Cranachio notatum invenies, quos non ferros aut infesios,
 torvosque (ut Maimburgius tradidit) voces, cum hoste illo,
 sed

sed indices animi, pro statu hominis Sanguineo-Cholerici
 &c. Petrus MOSELLANUS in Ep. ad Pblugium An. 1519. da-
 ta, scribit: Lutherum mediocri statura & tanta semper flo-
 ruisse facie; porro, in congressibus festivis, jucundum nu-
 gatorem, alacrem & securum fuisse KIRCHMAIER loc. cit.
 ff. 27. p. 58. ad fin. indicat: in pictura Cranachia An. 1523.
 imago Lutheri corpulentior & habitior in conspectum
 se dat, i.e. corpore solido & succi pleno, bonis lateribus
 vultu robusto, multo rubore & sanguine suffuso, rotundo
 fere capite & grandi &c. Pro diversitate temporum,
 quando Lutherus nunc vacillante & amissa sanitate maci-
 lentior graciliorve comparuit, nunc redintegrata ea obe-
 sior, vivacior, alacrior &c. proclivitas indefessa ad multa
 arduaque negotia Cholerorum character est, inde propo-
 sitorum prosecutio, ejusdem temperamenti proprietas
 est; virium naturalium robur & præstantia, earumque in-
 defessa & nunquam interrupta exercitatio & ad languo-
 rem morbosum usque applicatio ejusdem dispositionis
 hominem denotat: quicunque a juventute per reliquam
 vitæ & ætatis periodum durum, rigorosum, stridum &
 incommodum genus vivendi, nec non multas vigilias,
 sollicitudines & afflictiones, sine præmaturo vitæ dispendio
 perferre possunt, illi de eadem firma, robusta & consistente
 ætate participare debent: quicunque graves & sronticos
 morbos capitis & reliqui corporis facile superare & inter-
 dum ex illis sub contrariorum quasi medicorum usu emer-
 gere, ac autocratica naturæ opitulatione evadere solent, illi
 æquali constitutione naturali instruti sunt: huc pertinet
 testimonium laudati LÖSCHERI loc. cit. p. 78. Archiater
 Electoralis Razenberger in vita Lutheri narrat, beatum

Doctorem aliquando graviter ægrotasse, nec ullum medicum
 veram ejus morbi causum indagare potuisse: denique ipse
 æger decrevit, consuetum suum cibum, videlicet halccem &
 pisa denuo usurpare: inde calculus ab eo secessit, isque ite-
 rum convaluit. - annis Monachatus fui gravissimo mor-
 bo corruptus fuit, ita ut de vita sua periclitaretur; quo tem-
 pore senior quidam Monachus nervoso solatio eum crexit:
 quam ægritudinem ipse sibi duris ac rigorosis monachalibus
 laboribus accersit, quos sec. naturalem suam indolem ma-
 gno exercuit ardore, ideo interdum quinque hebdomum de-
 cursu vix somnum capere potuit. Cum hac relatione testi-
 moniali consentit suffragatoria commemoratio SECKEN-
 DORFI l.c. p. 21. addit. 3. col. b. quod Vir p. m. præ studiis
 assiduitate cubiculo se incluserit, & per unam, duas, imo
 tres quandoque septimanas cibo & potu abstinerit, cum
 que in modum se macerarit, ut aliquando quinque septima-
 nis somno caruerit, & pene in mentis deliquium inciderit.
 Vocali musicæ deditus fuit, cum melancholia, quod non ra-
 vo siebat, affligeretur (haec melancholia non effectus tem-
 peramenti melancholici, sed fructus fracti & afflicti animi
 Sanguinei, ideoque transitoria fuit) cantionibus solarium
 petebet (nam Musica Sanguineis medicina, consolatio, ob-
 lectamentum, mentisque serena erectio est). Accidit ali-
 quando, ut mœrore corruptus fese per unum alterumve diem
 solitarius includeret, nemire admisso. Tunc quidam Lu-
 cas Edembergerus, qui Iohannes Ernesti, Eleccoris Iohan-
 nis Friderici Fratris a studiis erat & juvenes alii, musicæ
 periti cum convenient, fores musei pulsant, & cum non re-
 sponderet, tandem effringunt: ibi jacentem in deliquio in-
 veniunt, & nontam medicina, aut cibo, quam concentu musico
 refici-

reficiunt - - - arti etiam tornatoria, ad corpus exercendum operam dedit, in qua instrumenta quædam meliora mitti sibi Noriberga petit, jocans, si mundus nolit ipsum ale- regnanu vietum parare velle.

§. III.

Tale inflammatum studium stricte observandi leges, ordines, præcepta & consuetudines, nec non strenue & operose prosequendi singulos labores, heroiæ & animosæ indolis index est, sicut b. Vir de se ipso sincere testatur in Genes. 48. v. 18. Ego talis fui, qui jejunio, abstinentia, duricia laborum & vestium propemodum mibi mortem concivi, corpore horribiliter macerato & exhausto: nec saltē difficiles, onerosos & periculōs conatus aggressus est, sed etiam, ut vholericorum robur postulat, duriorē & viliorē vietum facilius perferebat: hinc interdum coetus fuit lautiorem dietam commutare cum viliori & tenuori, quoniam ab illa facile sanitatis suæ alterationes & incommoda passus est, ob eandem etiam causam ex parte convivia evitavit, quia simul temperantia studuit: hinc in Epist. 126. p. 108. ad Gabrielem D Y DIMUM ex Eremo scribit: aliud nihil scimus in Eremo bac. Valemus quidem & splendide vivimus, nisi quod jam pene mensem passus sim tonitruum capit, non tinnitum, sive culpa & causa sit vi- ni, sive Sathan sic me ludiscetur: porro ubi de Rheumatismo in fauibus conqueritur in Ep. 167. ad Phil Melanchth. p. 186. hæc refert: Mibi in gutture corrosio quædam nova accessit, ut suspicer, vel vini violentia falsum phlegma au- geri. Ad talem temperantiam, abstinentiam & frugali- tatem is a teneris sub educatione parentum, omnibus fere rebus egentium, ut & sub Scholastica vita, ubi Magde- burgi

burgi quippe currendarius & postea Isenaci ob summam
 inopiam misere canendo panem propter Deum ostiatum quæ-
 rere ac stipem capere tenebatur: LUTHER hetselte und
 sang zum neuen Jahr um eine Bratwurst. vid. Ej. Hauss-
 Postill Dom. Esto mibi p. n. 181. a. ob id temperantia ipsi
 quasi naturalis facta est, sicut in Genesi ua l. cit. 15. refert:
Vidi ego fratrem in monasterio vorantem quinque simulas,
cum mibi unica sufficeret. Quod si illi Prior mandasset, ut
 una tantum contentus esset, aut ut ego totidem absumorem,
 illi certe inedia, mibi vero voracitate percundum fuisset:
 hinc ubique intemperantia & gulositate valde stomachaba-
 tur, ut in Genesi c. 31. v. 36. inquit: nos Germani sumus ven-
 tres, ac proci Penelopes, fruges consumere nati: sicut gra-
 vem seriamque castigationem & elenchum contra turpe
 ac sceleratum Germanorum vitium ebriositatis usurpat in
 der Kirchen-Postill Dom. Exaudi Epist. Pred. Wann man
 Deutschland mahlen solte, so müste man es einer Sau gleich
 mahlen. Si itaque alicubi Lutherus opipare tractatus fuit,
 mox morbosarum suarum afflictionum mentionem facit,
 ut in Ep. 15. ad Pb. Melanchth. ex Comitiis Mediolanensib.
 d. 29. April. An. 1530. Nos hic Domini sumus plane ac nimis
 laute paescimus: tibia mea nondum sanari vult &c. Ita
 Melchior ADAMI l.c. de eodem scribit: is fuit modici cibi
 & potus & Melanchthon vidit continuis quatuor diebus, cum
 quidem recle valeret, prorsus nihil edentem aut bibentem,
 vidit sepe alias multis diebus quotidie exiguo pane & bale-
 ce contentum esse (huc sans choleric ventriculus requiri-
 tur) nihil hic dicimus, quomodo in claustrō vigiliis, inedia,
 laboribus aliis se macerarit, (tale vitae genus non phleg-
 maticis acceptum & conveniens est). Præterea sub fano
 corpo.

corporis statu viribus valentibus ac robustis praeditus erat, adeo ut varia eaque molestia, gravia, curarum plena minusve grata itinera eundo, sive pedestria suscepit & perfecerit, sicut An. 1518. inter Paschæ & Pentecostes F. Heidelbergam ad conventum Monachorum Augustinorum, plurimum ambulando, peregrinabatur vid. Ep. Luther. Tom. I. Epist. 54. ad Langium die 21. Martii missa & LÖSCHER in Act. Reform. Tom. 2. c. 4. p. 40. sq. eodem anno ad Cardinalem Cajetanum Augustam Vindelicorum per Noribergam Mensa Octobri pedibus proficisciatur, sub quo itinere (quod sane non ambulatiuncula in xylo erat) inter Noribergam & Augustam ventriculi dolore, ob mutatam, ut credimus, diatam & insolita ingesta, sicut sub peregrinationibus accidere alias solet, corruptus fuit, vid. Luth. Ep. Tom. I. p. 83. Quemadmodum alias sub continuo locorum mutatione & peregrinationibus, ob temporis, temperatum, aeris, esculentorum & potulentorum varietatem, robusta utique & cholericis naturalis constitutio in b. Viro praesto esse debuit. Quod autem ad ejus animum attinet, tunc intrepida, acris, confidens, heroica, ardens, indefessa, constans, immutabilis, prompta, animosa, expedita, sollicita, laboriosa, judicia, penetrans, prudens, ad res arduas proclivis, in decidendis rebus praesens & parata, aspectu honorifica, oculis fulgentibus coruscans, ingenua, in causa Dei & regni ac gloriae Christi, ut & in profligando Antichristo strenua & servida, in pro- ac confessione veritatis coram omnibus aperta, fortis ac contumax mentis qualitas, manifesta cholericis hominis proprietas est.

§. IV.

Præterea b. Lutherus magnum Sanguinei Temperamenti
C

menti gradum possedit, adeo ut duo calida p̄dicta temperamenta fere in æquilibrio constituta fuerint; occurunt tamen varia criteria, in mente & corpore ejus observanda, imprimis si speciales ejus ægritudines conciliamus, quæ Sanguineo temperamento aliqualem prærogativam concedunt. Quoad corporis constitutionem ejus statura costata, mediocris longitudinis, amplioris humerorum latitudinis, crassioris colli, grandioris capitis, carnosæ faciei, genarum densarum, majorum & prominentium oculorum, succulent & spongiosi habitus corporis, proportionatorum membrorum, sani & vivacis coloris naturalis, formosum delineant sanguineum, adeo ut multi cum delectamento & gudio hunc Monachulum in introitu suo in varia loca adspexerint; & hanc terrestrem domum tabernaculi sanguine mobili, copioso & generoso impletam, inhabitavit magnus & Dei gratia ac virtute magnificus Spiritus, ita ut multi Christum in carne, Paulum in ore & Lutherum in corpore & voce cernere & audire optarent, vid. GLOCCERV in vita Lutheri & CLOSUS in ejus Parentalibus. Quoad animi dotes humanus valde & humilis fuit, singulis sincerum se integrumque præbebat, cogitatione, ore & opere unus idemque erat, simulationem, dissimulationem & adulacionem totus fugiebat, misericordem ac beneficium se omnibus afflitis exhibebat, avaritiam, res pecuniarias & philargyriam summo prosequebatur odio: insigni suo tempore inclaruit eloquentia, quod quandam BÖHMERUS Programmate de eloquentia Lutheri, & PALLAVICINUS Lib. I. Hyst. Conc. Trident. e. XI. p. 16. b. testati fuerant, ideo in copiam & abundantiam verborum disfluebat, amabilem & facundam coluit conver-

conversationem, apertam omnibus obtulit mentem: inge-
nio excelluit mirabili, testibus MAIMBURGO l.c. MELLER-
STAD, STAUPITZ aliisque vid. LÖSCHER in Act. Reform.
p. 215. & PALLAVICINUS l.c. c. 4. p. 6. b. inquit: acuto vi-
vidoque fuit ingenio: Studia generatim, imprimis jucunda
& elegantia coluit, videl. Historiam, Eloquentiam, Physi-
cam, Ethicam, Logicam, Poesin; hinc a STAUPITIO Wit-
tenbergam, quippe Professor Physics & Logice commen-
datus fuit: & talia studia tanto ardore exercuit, ut mor-
bos inde sat graves sibi contraxerit: Mutabilis autem in
studiorum delectu fuit, ut Sanguineorum mos est, hinc sub
vita academica primum Juris studio se dicavit, ob intimi
vero commilitonis sui tragicam, terribilem & miserabilem
occisionem, ut & horrendam quandam tonitrualem tempe-
statem perterrefactus, Sanctae Theologie studio totus se
mancipavit, interdum in suis negotiis præceps fuit, hinc
in Genesi c. 26. v. u.sq. suam imprudentiam in variis nego-
tisi, bona licet intentione commissam, humili confessione
sequentibus accusat: Ego maximas temeritates & stulti-
tias (hodierno molliori stylo vocantur Clericorum huma-
næ infirmitates) sepe commisi, sed bono animo id feci, non
studio uocendi, neque scienter, sed imprudenter & scilicet, cu-
piens consulere fideliter ad talem confessionem magis flebi-
lis, flexilis, mollis & anxius sanguineus, quam magnanimus
Cholericus proclivis est: porro more Sanguineorum præ-
ceps erat ad iracundiam, sed magis placabilem, minus im-
placabilem, nec diuturnam, morosam, aut vindictæ cupi-
dam, indicare Melchiorre ADAMI l. all. Quemadmodum
sermonibus suis, quippe Sanguineus, verbosus, adfabilis, face-
tus & suavis & eloquens, ita in proponendis rebus, quippe

Cholericus, judiciosus, gravis, nervosus, penetrans & ponde-
rosus fuit: juxta Argutum: Philippus facundus in verbis;
Pomeranus gravis in rebus, Lutherus totus in utrisque:
porro gratus, carus, suavis, adfabilis, alacris, bilaris & mo-
deste ac honeste jocosus erat, cuius sermones lepore & ve-
nustate adfluebant; ideo sermonibus & colloquiis suis
multos sales interspersit. Sic etiam memoria fideli, facili
& celeri, referente DANNHAUERO l.c. praeditus fuit, qua
facultate præ aliis Sanguinei feliciter gaudent: porro arti
poeticæ ita deditus erat, ut non modo ornare & argute ex-
temporaneos versus formare potuerit, juxta illud specimen:
dat vitrum vitro Jonæ, vitrum ipse Lutherus, ut fragilem
vitrum similem se noscat uterque, sicut Valer. HERBERGER
expresit in der Trauer-Binde P. 2. Conc. 15. p. 189. dem al-
ten Doctor Jonas, bringt Doctor Luther dieses Glasß, das
lehrt sie alle beyde fein, daß sie gebrechliche Gläser seyn, sed
etiam multos hymnos ecclesiasticos divini Spiritus medita-
tus est. Hanc mirabilem facultatem, Sanguineis familia-
rem & concessam, testatur ingeniose inscriptiones & ar-
guta dicta, sub variis itineribus in diversoribus & hospitiis
indita fenestris, tabulis & parieribus. Quod porro ma-
gnus Musicae amator & fautor fuerit (quod memorabilis
eius Epistola ap. FABRICIUM in Centif. p. 521. confirmat)
similiter erecti; bilaris & sanguinei animi character est.
Denique indoles eius imperturbata, tranquilla & ad mor-
tem subeundam & expectandam quieta, pacata & parata
erat, quam MATTHESIUS in vita Lutheri Conc. 13. p. 185. sy-
testatur, quod Sanguineum statum, divina gratia sanctifi-
atum, denotat.

§. V.

§. V.

Ast quam firmo, sano, vegeto, vivaci & comparate robusto temperamento a Deo Sanctus iste Vir praeditus fuit, minime tamen vires hæ naturales ad perferendos tam exiguios, arduos, difficiles, diuturnos, indesinentes, molestos & periculoſos labores, curas, persecutions, insidias, aerumnas, sollicitudinus & animi corporis afflictiones, indefessas fatigaciones, tædiosas necessitates, cruciantes angustias, graves tentationes, arduas præparations, ad magnum Reformationis opus (vid. b. RAMBACH præfat. ad Lutheri Epistolæ Paracleticas & Psalmorum penitent. explicacionem) & vitæ pericula, suffecissent, nisi divina providentia eum cœlesti suffulcisset robore; interea humana illius vires valde enervatae fuerant, ut multis morboſis arduis & fonticis invasionibus subiectus fuerit; de quibus nunc in cepro ordine agendum est: In compendio de adversa ejus valetudine DANNHAUERUS loc. cit. cap. 15. pag. 129. frequentem suppeditat relationem: Lutherus variis morbis a juventute fuit obnoxius. Erfordiaæ adversa valetudine adeo aliquando corripiebatur, ut de vita periclitaretur. In arce Wartburg gravissimo afficiebatur omnium membrorum languore. Coburgi Cephalalgia laboravit & insolitum ac molestissimum sensit tinnitus aurium, augeſcente aliquando hoc modo & medium capitidis partem occupante, ac si sonitum aquarum audiret aut molendini strepitum, ad lectum redire festinavit; vi vero concidit, velut exanimis & sensibus oppressis aliquandiu jacuit, ut nec vocem emitteret, nec ullum in eo vitæ signum appareret: impediēbatur & vertigine capitidis, adeo ut nec scribere, nec legere, nec concionari valeret, interdum etiam in ſuggeſtu ob ſubitanam lipothymiam concio-

concessionem abrumpere, coactus est. Similalda acerbissimos
 & acutissimos dolores calculi perpeccus est: haec de variis e-
 jus morbis eumque ultimum & lethalem laudatus auctor
 recenseret: nunc de singulis eorum quaedam monebimus.
 Quantum An. 1505. in juvenili sua etate vigesimo secundo
 vitae anno durus & severus Augustinorum ordo, cui se man-
 cipaverat, vires ejus naturales & sanitatem agre affecerat
 & debilitaverat, facile colligere licet, dum janitoris officio
 fungi, mendicato sacculo in civitate Erfordia panem colli-
 gere, templo scopis verrere, imo cloacas plane ex voto obe-
 dientia purgare debuit, vid. Tom. IX. Altenburg. fol. 1562.
 sicut is antea Anno 1503. ob nimium ardorem studiorum in
 eadem civitate, quippe Baccalaureus (vid. MATTHESII
 Conc. i.) in periculo sum morbum incidit. Cum ad compo-
 nendam quandam Controversiam, inter fratres Augustinos
 ortam, An. 1510. Romam ablegatus fuit, sub reversione ad
 Wittebergam Bolognæ gravi capit is dolore, aurium tinnitus
 aliisque morbosis alterationibus correptus fuit, dum sub
 molesto hoc itinere multa incommoda & a falsis fratribus
 vita pericula perpeccus fuit, quæ ejus animum & corpus
 magna afflictione turbaverant, hinc in capite sanguinis
 congestiones & membranarum nervosarum tensiones &
 stricturæ talern morbosam tragediam aperuere. Quo-
 ties b. Viro infidæ factæ fuerant, eum interficiendo, vene-
 ficio occidendo, ipse in Ep. Islebia An. 1546. edita, recen-
 set, vid. Opp. Lutheri Lipsiae 1732. impressa Part. XVII. p.
 378. sq. Cum porro An. 1521. Wittenberga Wormatiam
 ad prima Caroli V. Comitia proficisebatur inter Isena-
 cum & Francofurtum levi, brevi & itinerario morbo affli-
 gebar, qui sine dubio a multiplici animi alteratione va-
 rieta-

rictate vernalis tempestatis, *itineraria* fatigatione & molestia, imprimis autem *dīæta* incongrua & insolita mutatione ortum traxit: eodem tempore in arce Wartenburg morbo vehementi opprimebatur. *vid. MATTHESIUS Conc. 3.* qui *speciali* nomine ab Historicis non significabatur: ast aliquali *conjectura* colligere licet, hunc morbum cum *præcedentibus* aliqualem habuisse *confessionem*, ad quem multæ curæ, indefessi labores, desideria, *Nostalgia*, *D. Luthers Heimweh*, profundæ meditationes, *Scriptorum conceptiones* & *translationes*, veluti *Novi Testamenti* optimique sui libri, quem Kirchen-Postill vocavit, iteratæ conciones, imprimis insolita vita *sedentaria*, insueta lauta & commoda *dīæta*, causam & irritamentum præbuerent: inde accumulatio & commotio *congestoria*, stagnatio, *spasmodica* prosecutio, concurrens impuritatum coacervatio sanguinis & multiplex, imo variabile tam hujus, quam aliorum humorum molimen *excretorium* originem tra-

xerunt.

§. VI.

Alius b. Viri santicus *morbus* allegatur, qui An. 1527. eum proximo ante F. Visit Mariae circa vesperam invasit, quem ipse in Epist. 78. p. 56. d. 10. Junii ad Spalatinum ita describit: *Ego nudius tertius repentina Syncope ita corripiebar, ut desperans proorsus arbitrares, me extinctum iri inter manus uxoris & amicorum, ita viribus destituebar omnibus subito. Sed Dominus misertus mei restituit me velociter.* Laudatus LÖSCHER in Decimis Evang. P. 4. pag. 79. hunc morbosum insultum ita recenset: *prædicto tempore, invasit cum magna melancholia, cum eximio Susurrus instar turbinis in aure sinistra, & letbalis fere lipothymia,*
unde



unde totum corpus refrigeravit, ipseque ad mortem se præparavit. B. SCHURFIUS cum ad largum Sudorem disposuit, ut altero die convaluerit: hunc processum is arduum suum Sudatorium vocavit. Conf. Ejusd. P. 3. n. 15. p. 224. sq. quam subito hic affectus Lutherum corripuit, præfens D. Jonas ollam, aqua frigida impletam, in ejus faciem & dorsum effudit: conf. ex relatio^e BUGENHAGII Tom. III. Jenens. p. 401. seq. Wittenb. T. IX. p. 239. 243. Altenb. T. III. p. 772. sq. Hic subitanus affectus consistebat in repentina sanguinis stagnatione in vasis cerebri & in actuali prodromo & præparatione apoplexiæ, a subitanea sanguinis congesione intra caput & ad cor, quam prægressæ multæ fatigaciones, colloquia & vespertina obambulatio in horto domestico causabantur: nam strenuae occupationes & meditationes, sermocinationes, & sacræ orationes alliciebant sanguinem ad cor & caput, quam primum autem sanguis denuo in superficiem aut peripheriam corporis, cum sequuto liberali sudore translatus fuit, inde cor & cerebrum iterum ab hac sanguinis congerie liberatum & ordinatus sanguinis circuitus per has partes restitutus fuit: An. 1529. Mensis Aprili ad Zustum Jonam Ep. 88. p. 63. Scribit: Ego toto tempore, quo absuisti catarrobo gravissimo ac pene mortali vexatus, nec biscere, nec mutire, imo nec tussire potui, ut de voce reditura desperarim, nec adhuc finis. Sicut hic affectus vernalibus adicribendus est, ita eum non frigidum, pituitosum & communem catarrhum, sed salsum, acrem, calidum, rheumaticum fuisse, judicamus; HIPPOCRATES Sect. 3. aphor. 29. præter gravedines & tusses etiam tales vaucedines vernalibus annumerat morbis: quoniam igitur hic affectus gravissimus fuit, ipsam vocem impedivit, nec

nec ita facile & cito cessavit, temperamentum insimul Sub-
 jecti ad rheumaticos catarrhos magis, quam simplices, di-
 spositum erat, ipse etiam patiens in Epist. 167. p. 186. Anni
 proximi 1530. quo autumnali tempore de salto corrosivo
 phlegmata, quod de novo ejus guttur cruciarat, antiquas
 reliquias redeuntes, accusaverat, hisce rationibus edocti
 & inducti concludimus eo tempore b. Virum rheumate,
 quasi acuto morbo in larynge laborasse, quod caput & pe-
 ritus multa molestia una in consensu traxit, & fonticum
 morbi Schema constituit: conf. STAHLLI dissert. de morbis
 acutis veterum: Capitis enim & pectoris morbi Lutheri
 valde familiares fuerant; quia vel nudo vel baud multum
 obtecto & munito capite astum & frigus, ac multiplices
 aeris injurias perferre debuit, de quo in Ep. 178. ad Phil.
 Melanchtb. ex Eremo An. 1530. conqueritur: Ego ipsis die-
